

ARTICULUS VII.

Requisitio consilii in casu dubio.

1. **R**es si dubia, ad Principem, vel ejus Consiliarios, cum aliquâ facti informatione, circumstantiis etiam minutis adjectis, referenda, (omnes enim, & singulæ circumstantiæ accuratè hîc perpendendæ, & iis applicanda jura. Ut enim Medicis ex rectâ morbi cognitione tota medendi ratio petenda: Ita Principi, vel ejus Consiliariis, vel Magistratui ex facto Jus oritur, & mutatio facti etiam minima diversam sententiam deposcit, & si hoc locum habet in civilibus, multò magis in causis criminalibus. Ubi enim majus periculum, ibi cautiùs agendum, & pleniùs consulendum, *Jacob. Aleman. in palæstrâ consultationum conf. 2. p. 68.* vel acta ad consilium prudentum transmittenda. Non igitur præcisè, & omninò in criminalibus causis transmissio fieri debet, ut statuit *Joh. Richter. de Iudiciis, th. 64.* ut latius trado *decad. disc. Acad. secundæ editionis, disc. 9. concl. 2. in fi.* & ita jucunda est præteriorum laborum memoria, & plura de inrotulatione, vel transmissione actorum, *d. disc. concl. 1. usq. ad finem* invenies, & apud Commentatores Carolinæ sanctionis *in art. 81. art. 128. art. 220.* vel, ut alii illum indigant, 219. vel *fin.* nec in dictis locis ullum verbum de hac materiâ repetam. Nam eadem, ut *Galenus* inquit, non sunt in diversis locis inculcanda, sed tantùm ad memoriam revocanda. Videatur *Vict. Strigel. in Exod. c. 4. p. (mibi) 17. in fin.*

2. Judex, malum consilium prudentum si sequitur, an excusandus? *Consultissimus vir Dn. Anton. Nesen. Amicus meus sincerus, decad. 2. miscell. controv. 10.* allegans ad hoc Dd. autoritates, præsertim verò ll. fundamenta, ait indistinctè Judicem peritiores consulentem, etsi malè judicet, excusari, nec syndicari posse. In contrarium Dd. & simul distinguentes allegat *Bernh. Zieritz. hîc.* Vide omninò *Hartm. Pist. obs. sing. 149. cum seqq.* ubi quoque deplorandum invenies casum, casibus supra *art. 6. concl. 4. 5.* propositis non absimilem, & proponit quæstionem; cum quidam confessus esset, se uxorem cum liberis interfecisse, & Scabini cujusdam civitatis, à nobili Domino illius loci desuper consulti, simpliciter respondissent, reum ex propriâ confessione rotæ pœna afficiendum, nec consultorum admonuissent, eum priùs de delicto, utrum id verè commissum esset, inquirere, & veritatem rei investigare debere, ac Dominus responsum ipsorum secutus de reo supplicium sumisset, postmodum verò tam uxor, quàm etiam liberi captivi jam interempti essent reversi, ardua incidit dubitatio: An Dominus, qui sententiam Scabinorum executioni mandaverat, illud impunè ferre debeat? Hinc moris in Scabinatu Lipsensi ut omnibus responsis, in quibus mortis pœna alicui dictatur, clausula hæc: *Si diligenti habitâ inquisitione de delicto certò constet:* inseratur. Quod cum alibi, inquit *Moller. d. lib. 3. sem. c. 4. nu. 1. vers. hinc omnibus,* observatum non fuisset, sed ad consultationem cujusdam viri nobilis responsum, eum, de quo quæsitum fuerat propter parricidium in

D

uxore